PLATO. ARISTOTELES

Entstehungsort unbestimmt (Tirol?), 3. Viertel 15. Jh. Seite 189r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35041
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



et quod appetunt omnia: et quod quecunque mentem atque prudenti-
am haberent expeterent: et efficiens ac conseruans: uel id ad
quod hec sequuntur: id uero cuius gratia finis est: is namque
est gratia cuius tetra: quoniam etiam id ipsi bonum: quod sic ad
ipsum dispositum est. Necesse est plura uno ac paucioribus
connumerato uno ac paucioribus maius esse bonum: excedit
enim quod uero inest exceditur. ¶ Item si maximum a maximo
exceditur ipsa quoque ab ipsis. ¶ Quod si ipsa ab ipsis: maximum quoque
a maximo. ¶ Ut si uir maximus maior est quam femina: maxima om-
nino quoque uiri feminis maiores. ¶ Et si omnino maiores sunt femi-
nis uiri quoque maximus maxima femina maior. ¶ Excessus enim
generum et eorum que in generibus maxima sunt: proportiona-
liter se habent. ¶ Item cum quippiam ex aliquo sequitur: et
hoc ex illo non sequitur: sequitur aut aut simul: aut po-
stea: aut potestate. Nam usus eius quod sequitur in altero
est. ¶ Sequitur autem simul: si sanus est quod uiuat: et hoc
uero illud non sequitur. ¶ Scire uero ex discere postea sequitur.
¶ Sed postea potestate ad sacrilegium furtum sequitur. Nam qui
rem sacram abstulit: priuatam quoque abstulisset. ¶ Preterea
illa maiora sunt: que eandem rem maiore excedunt:
cum necesse sit ipsum quoque maius excedi. ¶ Ad hec quod maiores
boni efficientia sunt: ipsa quoque maiora sunt: id enim erat
effectiuo esse maioris. ¶ Illud quoque cuius efficiens maius eo-
dem modo. nam si salubre iocundo eligibilius maius quoque bonum:
sanitas quoque maior. ¶ Item quod per se expetibile est: eo quod
non per se: ut uires salubribus rebus: cum hec non sui gratia:
ille sui gratia que boni ratio erat expetantur. ¶ Item si
alterum finis sit: alterum non. Hoc enim alterius gratia est:
illud sui: ut exceri ad sanitatem se habet. ¶ Item quod minus
alio aut aliis indiget: est enim sufficientius. ¶ Indiget aut
minus: quod paucioribus aut facilioribus indiget et cum
hoc absque illo aut non sit aut fieri non possit. Illud uero
absque hoc possit. Nam cum sufficientius sit: quod non indiget.